

## † P. Nestor Delwart (1889-1956)

(Prov. Belg.)



P. Nestor Delwart natus est die 16 iunii 1889 in urbe Tirlemont; undecimus et ultimus puer fuit familiae vere christianae. Mater pia ac devota saepe a Deo expostulabat gratiam habendi filium sacerdotem. Post studia elementaria Nestor studiorum curriculum medium-classicum incepit Montibus (Mons) in collegio S. Stanislai, ubi frater Iosephus studiis iam vacabat. (Hic frater anno 1904 Novitiatum C.S.S.R. Trudonopoli ingressus est). Quodam die mater filium rogavit: Et tu, carissime, quid putas de vocatione tua? Cui Nestor respondit: Volo facere sicut frater meus Iosephus; et cum gra-

tia Dei spero me Redemptoristam et sacerdotem futurum esse.

Anno 1909 nostrae Congregationi nomen dedit. Novitiatum fecit Trudonopoli; Magister Novitiorum tunc erat P. Urbanus Van Eygen. Votis emissis die 29 sept. 1910, petiit studentatum Pulchriugi (Beauplateau). Tempore belli, anno 1915, die 12 sept. sacerdotio auctus est in Breda.

Post bellum, initio anni 1919, adscriptus est Vice-Provinciae Africanae Congensi, ubi frater eius iam degebat. Fuit missionarius zelo plenus in regione de Kimpese, in cuius hospitio Superior fuit per 6 annos. Anno 1934 nominatus est Procurator Vicariatus de Matadi.

Anno 1946, valde aegrotans, rediit in patriam. Superavit pericula et dolores sectionis chirurgicae; et post decem menses iterum proficisci potuit in Vice-Provinciam de Matadi. Ibi nominatus est Superior hospitiū de Kasi.

Iudicio confratrum P. Nestor Delwart semper fuit missionarius exemplaris, laborans sicut bonus miles Christi, se totum devovens nostris christianis congolesibus; et ut Procurator Vice-Provinciae bene ordinans negotia materialia. Erat maxime devotus Immaculatae Virgini Mariae, Cui totum se consecraverat initio vitae religiosae, rogans perseverantiam in bonis operibus, fidelitatem in observandis exercitiis Regulae, promittens recitationem quotidianam rosarii integri necnon et coronae Matris septem Dolorum.

Initio anni 1953 apoplexia correptus est et denuo reversus in Belgium. In patria, quando Superiores ei aperte dixerunt reditum in missionem iam esse impossibilem, hoc ei maximo dolori fuit. Noluit tamen otiosus remanere et per duos annos confratres adiuvit Antverpiae in hospicio nostro dicto « Amicale des Marins Congolais ». Initio anni 1956 adscriptus est domui de Mons, ubi confessarius fuit in ecclesia Congregationis, et totum se dedit officiis domesticis.

Semper arteriosclerosi laborans, ultimo vitae mense etiam debilitatem cordis expertus est, crism habens bis vel ter cotidie. Feria sexta, die 31 aug. 1956, hora tertia post meridiem, aspiciens crucem et imaginem B. Mariae Virginis, post agoniam quartae horae partis, animam suam Deo reddidit.